



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

313. Kurfürst Joachim verschreibt seiner Gemahlin Hedwig zum
Leibgeding die Grafschaft Ruppin mit dem Amte Bötzow und versichert ihr
die Morgengabe auf die Prignitz, am 13. März 1536.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

313. Kurfürst Joachim verschreibt seiner Gemahlin Hedwig zum Leibgeding die Graffschaft Ruppin mit dem Amte Böhlow und versichert ihr die Morgengabe auf die Brignitz, am 13. März 1536.

Nos Joachim, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperij Archi Camerarius, Princepsque Elector Stettinensis, Pommeranie, Cassuborum, Schlanorumque Dux, Burggravius Norenbergensis ac Rugie Princeps, Presentibus nostris patentibus litteris Significamus ac notum facimus pro nobis, nostris Heredibus et successoribus coram omnibus et singulis has nostras litteras visuris, lecturis aut legi auditoris, Quandoquidem cum serenissimo ac Illustrissimo Principe ac domino, domino Sigismundo, eadem gratia Rege Polonie, Magno duce Lituanie, Ruffie, Pruffie, Masouie et Samogitie domino et Herede, domino socero ac patre nostro obseruandissimo Affinitatem contraximus, Dum Illustrissimam dominam Hedwigim prefati Regis filiam nobis legitime desponsatam et Copulatam In cubili ac thoro matrimoniali associauimus Eiusque Regia Maiestas dotem Triginta duorum Milium florenorum Hungaricalium in auro puro et iusti ponderis nominauit ac nobis soluere promisit, Sicuti in litteris conubialibus per nostros Oratores et Legatos desuper confectis et sigillatis expressius et fusius continetur, Recognoscimus et presentibus litteris coram omnibus testatum volumus et profitemur, Supradictum Serenissimum Regem dominum Socerum ac patrem nostrum obseruandissimum prefatam summam Triginta duorum Milium florenorum Hungaricalium puri auri et iusti ponderis Nobis Cracouie integraliter Numerasse tradidisse ac soluisse, Quapropter omni juri obligationi aut impetitioni super huiusmodi summa dotis pro nobis, nostris Heredibus et successoribus renunciamus, Supradictum serenissimum Regem eiusque Heredes et successores imperpetuum quietum ac quietos liberosque fore esse debere manereque asserimus, designamus et dicimus. In compensationem vero prefate percepte dotis sicut nos facturos promissimus et obligauimus Vicissim donamus dilectissime Coniugi nostre Hedwigi Sexaginta quattuor milia similium aureorum Hungaricalium boni et iusti ponderis propter nuptias Corporis provisionem Vulgo leipgeding Et de hoc cautionem facimus Vigore presentium In Ciuitatibus, Arcibus, oppidis et alijs bonis et prouentibus Comitatus Ruppiniensis Et prefecture Botzou ab omni alia obligatione et inscriptione liberis intra expresse nominandis Ita ut vsum fructum siue annuos redditus de quibuslibet quindecim aureis Hungaricalibus vnum aureum Hungaricalium boni auri et iusti ponderis annuo subleuare et percipere possit, Sicuti in contractu matrimoniali et litteris desuper confectis clarissime exprimitur, Arces vero in Comitatu Ruppiniensi sunt nominatim Antiqua Ruppin, Goltbeck, Neustad, Ciuitates autem Noua et antiqua Ruppin, Granfoye, Wulsterhausen, Neustetlein, Wiltberg, Goltbeck, Que omnia et singula Illustrissime domine Hedwigi Conthorali nobis Charissime indicamus, inscribimus, assignamus et addicimus Cum omnibus villis, predijs et quibuslibet possessionibus, proprietatibus et usufructibus,

Theolonijs, vectigalibus, domibus, frumentarijs, Nemoribus, Vineis, judicijs atque vniuersis censibus et redditibus, vsibus, penis, homagijs, feudis, aquis, piscationibus, foribus et foralibus, Siluis, venationibus, seruicijs Nobilium siue ignobilium subditorum tam spiritualium quam secularium, quibus et qualiter antecessores nostri et nos huiusmodi seruitijs vsi sumus, jurepatronatibus et collationibus officiorum, dignitatum et beneficiorum tam secularium quam spiritualium et ecclesiasticorum Curatorum vel cura vacancium, Et breuiter cum omnibus rebus citra ullam exceptionem quocumque nomine vocentur et quecunque nunc sunt et in futurum humana industria fieri possunt ad easdem arcas, ciuitates et oppida quocumque modo pertinentibus harum literarum vigore. De premissorum omnium prouentibus, Censibus et vsu fructibus sicut exacta et diligenti omnium et singulorum stabilium, Crescentium et decrescenciam bonorum perlustratione taxa et estimatione aliquot Nobilium fide dignorum Videlicet Matthie de oppen in Ruppin, Joanne Haken in Botzow et Heine doberitz in driesen, Capitaneorum et Nicolai Thum questoris nostri Erarij ex parte nostra, aurati Castellani Gedanensis et Capitanej Stumensis, Oratoris et legati ex parte Regie Maiestatis polonie, domini socii et patris nostri obseruandissimi ad hec specialiter Commissarij et legati, exploratum, inuentum et compertum est, habere potest et poterit Illustrissima Coniux Hedwigis Ex Comitatu Ruppiniensi in summa annuo Sex Milia florenorum, Viginti septem florenos decem et septem grossos Marchiticos, Triginta duos grossos Marchiticos pro vno floreno computando. Ex prefectura vero arcis et oppidi Botzow et eorundem attinentijs Mille trecentos et viginti quinque florenos Et ita pro Sexaginta quattuor milibus aureorum Hungaricalium puri auri et iusti ponderis Charissime coniugi nostre Hedwigi pro compensa a nobis percepte dotis debitorum in summa summarum donamus, cedimus et inscribimus per presentes nostras litteras septem milia florenorum Renenses, Triginta duos grossos pro vno floreno computando et viginti tres grossos Marchiticos Preter omnia et singula, que nondum estimata nec in prefatam summam redacta suauissime Coniugi nostre ex amicissimo et pio affectu vltro et liberaliter adiciemus et ipsam in eorum possessionem introduci curabimus, Quod si supradicta summa summarum minor esset quam a sexaginta quattuor milibus aureorum Vngaricalium de quindecim aureis Vngaricis Vnum aureum computando annuo jure prouenire deberet, Debemus et volumus nos aut nostri heredes siue successores sepedicte nostre Coniugi Certa alia bona assignare, donare et inscribere ex quorum prouentu quod legitime summe deest assequi poterit pro vsu sui corporis et sustentacione vite iuxta decenciam sui status Ita ut quoad ipsa vixerit jus habeat et habere debet post mortem nostram vtendi et fruendi prefatis omnibus et singulis prout sue dilectioni videbitur commodum et expediens. Si vero contingat quod prouentus annui in supranumeratis bonis debitam summam inscriptionis dotis, dotalicij et donationis propter nuptias excrecant, Non debent Heredes aut successores nostri huiusmodi excrecentem summam pro se repetere, Sed prefate nostre coniugi Hedwigi relinquere percipiendam, vtendam et fruendam pro commoditate sua sicuti moris et iuris est vtendi et fruendi huiusmodi

bonis ad vitam deputatis et designatis. Quatenus autem serenissimus Rex polonie, dominus fover et pater noster obseruandissimus et Charissima nostra Coniux de omnibus premissis assequendis certissima esse possit, Curauimus et demandauimus Capitaneis Nobilibus Ciuibus Agricolis et alijs incolis Comitatus Ruppinensis et prefecture Botzounsis Vt charissime nostre coniugi Hedwigi Juramentum obediencie, fidelitatis, Homagij et subiectionis prestarent in Casu et eventu mortalitatis nostre effectualiter nunc vt ex tunc et e conuerso valiturum, Ita vt sue dilectioni obligati subditi fideles et audientes sint et maneant quoad ipsa in vita superstes permanerit. Huiusmodi fidelitatis Juramentum Nobiles Ciues et incole prefati Comitatus Ruppinensis et prefecture Botzounsis Charissime nostre Coniugi in persona supradicti Strennu domini Achacij Zemen, Equitis aurati, Regij legati et Commissarij ad hoc specialiter missi et supradictorum nostrorum Capitaneorum et consiliariorum presencia conceptis verbis et stipulatis manibus prestiterunt realiter et cum effectu, Quod factum nos gratum et ratum habemus approbamus et confirmamus. Volumus eciam vt successores nunc existencium Capitaneorum Coniugi nostre, quocienscumque opus fuerit, huiusmodi Juramentum eciam prestare debeant et teneantur. Postremo quum quidem sepe memorate domine Hedwigi coniugi nostre iucundissime preter supradicta decem milia florenorum nomine donacionis propter nupcias, vulgo Morgengab nuncupate, Constituimus et polliciti sumus, Id circo donamus, assignamus et inscribimus eidem quingentos florenos Renenses annuo ex certissimis primarijs pocioribusque prouentibus, redditibus et censibus in Prignitia, prouincia nostra famigerata et nobili, subleuandas, Quibus Coniux nostra Charissima eciam tempore vite nostre pro sua voluntate et commoditate libere vti et frui poterit, quod vigore presentium Ei liberum esse et fore promittimus, post mortem vero nostram eadem summa quingentorum aureorum Vna cum supra memoratis alijs donationibus, redditibus et censibus sue dilectioni assignatis et inscriptis vtenda et fruenda remanere debet pro sue vite et status conseruatione absque aliqua cuiusuis heredum et successorum nostrorum contradictione. Premissa omnia et singula pollicemur nos Joachimus, Marchio Brandenburgensis et princeps Elector, sub bona fide inclito et honesto principi digna pro nobis, nostris Heredibus et successoribus firmiter inuiolabiliterque obseruatueros et obseruari curatueros omni furo et simulatione remota. In quorum omnium fidem certissimam et euidens Testimonium presentes has litteras manu nostra propria subscriptos Sigillo nostro consignari fecimus et consignatas approbamus. Date in Arce nostra Colonia cis Spreuam feria secunda post Reminiscere, Anno a Natali die Christi supra Milleimum quingentesimum Trigesimo sexto.